

FK.135
74

II d
70

100
BIBLIOTHECA
MUSEI HISTORICI
MAGNIFICENTIAE



100

PHILOSOPHIE

LEHRBUCH

VON FRIEDRICH SCHLEGEL

LEHRBUCH

VON FRIEDRICH SCHLEGEL

1818



IN CALAMO LOQVACES
XX. PHILOSOPHIAE CANDIDATIS
QVI MAGISTRI CREANTVR

RECTORE MAGNIFICO
IOH. FRIDERICO MAIO
MORALIVM AC POLITICAE PROF. PVBL. ORD
ET MAI. PRINC. COLLEG. COLLEGIATO

PROCANCELLARIO SPLENDIDISS
AVGVSTO FRIDERICO MVLLERO
ORGANI ARISTOTELEI PROF. PVBL. ORD
ACAD. DECEMV. COLL. PAVLINI CVRATORE
MINORIS PRINCIPVM COLLEGII SOCIO
ET H. T. PRAEP. MAGNO

CARMINE SOLEMNI VUTILITER DICIT
DECANVS HOC TEMPORE
IOH. FRIDER. CHRISTIVS P. P
D. VIII. MART. A. C. N. CIO IOCC LIII

L I P S I A E
EX OFFICINA LANGENHEMIA




IN CALAMO LOGVACES
EX. PHILOSOPHIAE CANDIDATVS
QVI MAGISTRI CREANTVR


RECTOR MAGNIFICVS
IOH. FRIDERICVS MAIO
MORALIVM AC POLITICARVM PVSIVM ORD.
ET NAT. TRINX. COLLEG. COLLEGIARVM

PROVINCIALIARIO SPLENDIDISS.
AVGVSTO FRIDERICO VALLERO
ORGANI ARISTOTELII PVSIVM ORD.
ACAD. DECERV. COLL. PAVLINI CREATORE
MINORIS BRUNSVICVM COLLEGIJ SOCIO
ET NAT. TRINX. MAGNO

CARMINE SOLEMNI VITIVM DICIT
DECAVVS HOC TEMPORIS
IOH. FRIDER. CHRISTIVS P. P.
D. VII. MART. A. M. CIOCCCLIII

LIBRARY
UNIVERSITY OF SACHSEN-ANHALT
MAGDEBURG





Plurimus egregie deductum scribere carmen
Non inclusus auer, sed stans hodie pede in vno
Naturaeque bono gaudens, vt cornibus haedus,
Fundere posse putat raptatus Apolline vates,
Sperat enim, tanta ingenii dictare vigorem,
Tanta leui studio occurrentem protinus auram
Immeriti ad populum cito casurique fauoris,
Quanta olim vel virgineo specus hausta labore,
Vel tripodis conclusa diu vis enthea possit.
Haec illos cortina domi ac spes improba ludit
Immodice, rerum per vana, et imagine falsa:
Quatenus, vt parcas oleo, nauaeque Mineruae,
Peruigili noctem timeas consumere cura,
Nec iugules versus obelis turpique litura
Innumeros, nunquam carmen laudabile condas.
Multum tiro meus rauca sub voce magistri
Praeformandus erit, donec bene factus ad vnguem
Sensa animi ostendat centum spatiosa per artes.
Multa hominum consulta notabit, multa legendo,
Optima quaeque premet memori sub mente, sibi que
Sic quoque diffusis, tabulas tum denique poscet

III

Scripturus quidquid petat alto e pectore ductum,
 Non quidquid cupidi subito efflat spiritus oris.
 Fidentes humeris propere, nimium que paratos
 Arceat a stadio Cyllenius, et bona tendat
 Non illis Pimplea fides in carmina doctas.
 Attamen hanc caelo genitam, fummis que leuandam
 Pindi verticibus, vel qua Parnasia surgunt
 Rupibus aeriis iuga, defluit Hippocrene,
 Detractam instituunt per squalida tesqua tenere.
 Scilicet, en, vulgo tam praua incepta mouentes,
 Dum non sueta deam, sed turbae verba docetis,
 Πάνδημον facitis. fit cultu turpis inepto.
 Sic vtriusque olim, vt perhibent, bona mater Amoris,
 Illa petitura astra, sacris que fere ales Hetruscis,
 Plebi sordidulae plebeia ac sordida facta est.
 Puluerulenta in humo passa est latus aurea poni,
 Et comitem fieri graueolentem incurfibus hircum.
 Mnemosynes aliter sanctae genus. Aufa sibi se
 Credere, sermonem et coetus dea fugit inertes,
 Sedibus a vestris longe multum que recedens,
 Sordida qui vulgi celebratis verba poetae.
 Vernula nam certe lutulento defluit amne
 Sermo, quem petitis, nec vestra oratio fordes
 Tam male, quam debet, vobis stertentibus, odit.
 Quin ait omnino contingere carmina dia
 Virtutem que suam, verbis vel maxima Manni
 Si cura accedat, mentis per acumina nolle.
 Si rigido quisquam voces examine tentet,
 Libratas lima premar, et, quod fecimus, aequet,
 Non ideo, velut antiqui Saturnia cultus
 Carmina, quae Fauni filius vates que locuti,
 Mox iustum mollita pedem cepere, modos que

Paul-

Paullatim proprios, eadem speret fore nostris:
 Nam non, vt Latio numerique pedesque reperti,
 Celtica sic vllam subitura oratio legem.
 Syllaba longa gerens praegrandia corporis ossa,
 Ponderibus que frequens nimiis, immota, laborans
 Mole sua, ac nullis breuibus laxata, fatiscit:
 Verba que, dum grauius stricto ingrato que sonore
 Fastigata velut cuneis aures male laedunt,
 Aptos in versu numeros, incisa que soluunt.

Dein elementa sono rixantur inertia duro,
 Et spissata onerant ignauo pondere verba,
 Et focias, quibus est nomen vocalibus, arcent.
 Harum in concursu mutarum littera priuum
 Voce ciet fracta gemitum, turba que laborat
 Vocalis: pugnat male conciliata forori
 Et sequitur mutarum alia atque alia, et pede pressa
 Strangulat, inque vicem manibus cadit ipsa sequentum.
 Et iunctura perit mollis, numerique decentes
 Interea soluuntur, et oris lenè sonori
 Voce bona ac facili vis mira, tonique potestas.
 Immani strepitu, non est modus, omnia turbant.
 Quid, quod et obscuris implent vlulatus aures
 Conflata inter se pingui vocalia mixtu,
 Efferri que negant pure satis ore rotundo?
 Si cupiat liquida sese edere littera voce,
 Opprimit infectam subito comes, inque bimembrem
 Transformat sonitu infuscans, duplicem que relinquit.
 Inter quae vitia existunt elementa parata
 Semper deprimere immenso graue pondere verbum,
 Innumerisque pedem numeris, dissoluere formas
 Dictorum, ac streperos pro voce emittere rhonchos.
 Diuarum haec violent, vt si aestuet igne caminus,

VI

Ventorumque citis rabie demugiat aether,
 Molles aurículas non verba, at verbera vera.

Quare etiam versu nolint vulgaria iusto
 Cantica distingui, celeri nec semper Iambo,
 At specie illius vana, fractique Chorei,
 Sensis haud maribus, Gallorum incessibus apti.
 Non alio pede, vel numero meliore, ferantur,
 Ni ludibria tu pueris per vasta tonorum
 Absurdo fremitu debes, risum que puellis.
 Non pedis alterni mutes grata vice vincos
 Illorum rigidosque modos: non vnde quiescat
 Idem semper habet versus, vocemque remittat.
 Non librata dabis noua tempora: nulla duabus
 Reddat pro breuibus concinnum syllaba pondus,
 Respondente sono spatii diuersa, sed aequa.
 Caesurae non illa vices, quum festâ resistit
 Versibus in mediis paullum sententia, discant.
 Verba negant abrupta ac dura, et, qua modus ipsis,
 Suspensi pausam pedis ignorantia dulcem.
 Non ego nunc edam, quam pauca sopore supino
 Versificator hians tam laxis legibus arêtet:
 Vt sine grammatico, sine rhetore, turbida dicta
 Non bene conati, id crimen, vulnus que negetis
 Essè, quod immemores tarde sentitis adactum.
 Vt saepe inter se mire permixta frequentet
 Verba togae sermo, focci que, alti que cothurni.
 Non insectari quenquam placet. vtilis error
 Si saltem foret, accedam. Quin illa, fatebor,
 Pleraque non homines peccant, oratio peccat,
 Ingenium que bonum populi, qui fortis ad arma
 Segnius adspexit moderanda vocabula rerum.
 Vos tamen hac secta, quibus et mediocria falso

Sum-

Summa nitent, misso Graio ac sermone Latino,
 Prauaque prae rectis, vani, multumque monendi.
 Nam, bene qui dixit picturae artem esse poesin,
 Sed tacitam, et carmen contra tabulam esse loquacem,
 Quid daret artificio, minio cretaque negatis?
 Quid, nisi sub numeris aptissima verba, poetae?
 Nunc vbi difficili in carmen producere lege
 Insuetum audetis genus, vt vulgaria consent,
 Quid praestare animo valeatis et arte, poetae,
 Nomina si concinna operi, desuntque colores?

Haecenus, vt videas, plenum quam non pote carmen
 Componi glossis vulgi ac sermone recenti,
 Quodque sit aetati par, vt bona vina, ferendae,
 Aut grauibus dignum studiis, ac saepe legendum.
 Namque ioco, inque diem pulcherrima cantica fingi,
 Nemo adeo negat, vt multi vulgaria credant
 Lenibus esse iocis ac nugis nata pudicis?
 Tales delicias non spernat Graia verustas,
 Ignauum que putem, qui non vulgaribus olim
 Edidit in dulces ludentia cantica amicos.
 Adde sacris voces et carmina debita nostris,
 Proditae quae nitide, doctorum ea cura virorum,
 Nunc omnis merito discit celebratque iuuentus.
 Adde etiam, si quid vulgandum publicus vsus
 Flagitat, aut quidquid recitant fora, siue tribunal.

Sed reliquis rebus graue non, vel si pote, pondus
 Fas erit his poni. Primum, non cuncta decebat
 Vulgari: mox deinde sacrae diuortia Musae
 Pessima diffidio linguarum, vosque profanos
 Barbarie facitis: quae sunt communia raptu
 Solui non licet: et postremo in saecula nunquam
 Durabunt illis descripta poemata glossis,

Aut

VIII

Aut viuendo omnem, vt ſperetis, Neſtora uincet.

Artes, et Latia Chriſti ſacra uoce profeſſam,
 Millibus annorum ſocialiter iſta locutam,
 Quam genus humanum acciperet conſenſibus vnis,
 Quam ueſtro ſtudio propriam quaefiſtis et armis,
 Cuius et intermerata olim tradenda nepoti
 Litterulis fuerant bona recte inſerta Latinis,
 Cultibus hanc variis properatis laedere Muſam.

En igitur tandem melioribus illa relictis
 Cogetur, uobis auctoribus, incipere amens
 Sub nutrice, uelut parui, pappare minutum
 Cuiusuis populi ritu. Sic nuper Hetruſco
 Inſtituit, quem Luna docet, uel quem Ligus ora:
 Mox braccata modis Gallorum, ſiue comata,
 Cantaber ut uoluit, formans os durum, et Iberus,
 Laeta adiit toto diuiſos orbe Britannos.
 More alio in Picis nudet latus, in que paludes
 Descendat Batauus: Chaucos, Cimbros que frequentet:
 Militet in caſtris Sueui, fortis que Sicambri:
 Denique, Hyperborea niue nil deterrita, uoces
 Indomitas tot bellatorum imitata rotundet.

Haec diuulſa pia rurſum coniungere dextra
 Magnum opus eſt. quis erit vindex in iure? quis audet?
 Non ego. Sed meliora edam, uotis que fauebo,
 Si data ſint ſtudijs tanta haec mortalibus, anceps.
 Itur enim fato in contraria. Uoce tenenda
 Simplice maieſtas et uis coniuncta docendi
 Multiplici ſpecie linguarum diſfluit, et ſe
 Tradendam in uerbis uirtus haud inuenit illis.
 Quae ſimili cultu quondam res tanta nitebat,
 Chriſticolas populos, tot et inclyta regna, coercens
 Vnius in ſacri ritu, fraternam pudore

Rexit

Rexit corda virum: stetit edicto vnus oris,
 Artibus vsa bonis, vnus et illice linguae,
 Ingenuum decus hoc pariter legem que professae.
 Teutonius Aufonio sua sic bona, Gallus Ibero
 Contulit, inque vicem petiit. quae causa sacrorum
 Magna distraxit quondam ratione, nec vlla
 Vos ratione hodie euertistis commoda rerum,
 Linguae opicae studio priuatim quisque colendae.
 Saeva bonae mentis diuortia, vulneris et spem
 Sanandi facitis vana vt sit, corpus et vnum
 Doctrinae in partes glossae diducitis vsu,
 Optima virtutum commercia tollere certi.

Exempli vitio plenas tot nuper inepte
 Litterulis mandata premunt foedant que tabernas:
 Ingenuae fiunt dispendia laudis, et acti
 Temporis in vanis rerum tam praua legendo.
 Fiunt numorum dispendia conquirendo
 Quod pluteis breue onus piperi mox pallia donet.
 Damna bonae mentis magna adsunt ingenii que,
 Et verae interea vitae consumpta facultas.
 Quae furto illorum plane omnia diripit error,
 Dum legis hanc nubem nugarum, recta relinquis.
 Nam vitium obrepit non vita deside tantum,
 Aut misera, sed et intenta in mediocria mente,
 Nec male iudicio, quisquis per carmina, nostro,
 Stultitiam dixit mediocriter vtilium spem.

Digna legi monumenta existunt rarius illis
 Nempe libris. Aegre populi facundia praesens
 Cogitur in legem scripti, ac se segnius effert
 Hinc, Venere et Charisii profugis, oratio recta,
 Quam si litterulas Graias tentes ue Latinas.
 Inuenias facile ac promptum vetus omne poema

B

Idem,

Idem, qui potius scire illa recentia credis.

Aspera sunt, et eis vix est via, nec prior vsus:

Te contra Latium exemplo deducet honesto,

Orbitaque clium signans certissima mollem

Omne genus dictorum edet, studium que leuabit.

Inde fit, vt peccent minus ausi verba Latina

Vel pueri, ac peccant vulgi fermone disert.

Musarum non illa chorus defendit. Inesset

Si numen, fortasse Lares enixa putetur

Nymphaque loquax, comiti facundo conscia amoris.

Tanta inopis mentis verborum copia sensus

Mergit et exundans infantia protinus: et, quos

Aequae inscitia dicendi tenet atque tacendi,

Importuna aufert oratio, dissipat error

Pectore ventoso vacuos calamo que loquaces.

Hanc fuge, quisquis ades merito dignandus honore

Nunc miles, tiro quondam lectissime, sectam:

Succedensque tholo, laetentur et haec loca, dicas,

Rege diu, Regis que domo, populi que salute.

IOHANNES FRIDERICVS BVRSCHER

CAMENTIA LVSATVS

E gente oriundus, quae olim inter generosos militauit; deinde rebus aduersis et modestia maiorum, quod aliis quoque nostrorum haud raro et more placuit, sapienter se retraxit ordine dissimulato, quam rem dissentiens etiam nominis scriptura consecuta est, Borsch, et Bursche, et Burscher, patrem habet Iohannem Christianum: matre vsus est Rosina Elisabetha Zeisig, quam ante hos duos annos e vita euocatum dolet. Ex his natus a C. N. 171000000000 Camentiae Lusatae superioris nobili opido, in quo opido pater munere honesto pias sacrorum causas administrator et rationalis curat, magistris idoneis ut litteris artibusque ingenuis recte informaretur, sedula parentum cura mature permixtus est. Eorum facile principem grato nominat animo, Hunicium, Artium magistrum et sacris curandis in vrbe patria oratorem, sub quo et humanitatis, et litterarum, et rei librariae quandam notitiam, prout aetas ferebat, caperet. Secundum eum etiam Bernauerum, et Vogtium, et Praetorium, magistros in ludo litterario Camentiae, sibi plurimum profuisse. Ad nos accessit anno saeculi praesentis xxxviii, nomen professus in ciuibus huius artium vniuersitatis rectore Vuinclero. A quo tempore humanitatis discendae et litterarum causa me studiose sectatus est, et Ernestium: rhetoricen ut cognosceret, Maium, nunc Rectorem Magn. et Gottschedium: ut mathesin, Heinsium et Kaestnerum: ut historiam ciuilem, Ioecherum et Schumanum: ut sacrorum, Vuogium et Vuernsdorfium: ut philosophiae ac litterarum historiam, Ioecherum item et Vuinclerum. Philosophatus est operosius praeunte Mullero, ac rursus Vuinclero. Ad sacra discenda Theologiae studio quum animum appulisset, praeparatus, quod ad orientis litteraturam, Hebenstreitii, quod ad Graeca, Erlichii magistri artium doctrinis: velitatus item colloquiis academicis duce rursus Hebenstreitio, et mox, ut et in omni dialectica, Kaestnero, se totum ideo tradidit scholis praeterquam Hebenstreitii, Vuollii etiam et Crusii, dein Boernerii, Deylingii, Stemleri, Telleri assiduum auditorem. Et his omnibus,

omnibus, et aliis in hac vrbe, qui partim sanguinis necessitudine iuncti, beneuolenter se amice que haberent, plurimum que boni in eum conferrent, grato se animo obstructum esse, ostendit. Secundum ea rite colloquiis et scripture explorato, Magistri artium et philosophiae dignitatem ordo noster, intercedente, vt vocant, Diplomate, ei superiore aetate contulit.

IOHANNES ANDREAS DIEZE

L I P S I E N S I S

Natus est in hac vrbe a C. N. ciccxcxviii, patre Iohanne Andrea, qui mercaturam cum laude exercet, matre Magdalena Sophia Apelii mercatoris quondam item inter nostros nobilis filia. Patris bene de se merentis cura vsus, quum mater satis concessisset, vt litteras disceret, priuatae primum institutioni magistrorum Griseri, Goldbergii, Schmidii et Neickii, quorum fidem laudat, operam dedit: deinde receptus, vt Latinis litteris et Graecis et quodam philosophiae gustu imbueretur, in Ernestii disciplinam, quo nomine se felicem putat, eiusque humanitatem ac beneuolentiam praedicat, annis quinque sub eo meruit. Ad nos accessit anno saeculi praesentis xxxxiij, Rectore Menzio, inde ab eo tempore sectatus, vt ciuem doctrinae ac virtutis nostrum decebat, humanitatis et artium ac litterarum doctores, me quidem, quum historiam fabularem e poetis repetitam, et Augustam secundum Suetonium, traderem: ac rursus Ernestium Romae antiquae ritus, et historiae catholicae summam, et loca scriptorum egregia enarrantem, monstrantemque vsu quendam differendi sermone ac filo. Auditor etiam adfuit matheseos discendae causa, Heinsio: physicae, Vuinclero: historiae populorum Europae, Ioechero: regni Germanici, Frankio. Sacrorum eum docuit historiam, Beyerus: iuris naturae praecepta, Gotfridus Mascouius: ius ciuile, Menckenius, post euocatus Helmstadium, et Bacchius: quibus plurima se debere gratus proficitur. In iure pontificio sacrorum, quod canonum dicunt, cognoscendo, doctores habuit Mullerum et Gutschmidt: in formularia iurisprudencia, et in ritu

ricu tribunalium discendo, eundem Gutschmidt, quem laudat: in iure Germanico, Cramerum: in iure beneficiario, mercatorum chirographi, et publico, Mascouium maiorem, cuius plurimum fauorem se sensisse ait, et Sigelium patrem, et Cramerum, Frankium que: terribilium iuris ciuilibus in capitibus, et in facultate referendae caussarum e tabulis actorum summae adquirenda, Hommelium maiorem. Neque non Franquio se adfuisse in quibusdam reliquis historiae partibus tractandis, dedisse que operam, vt quarundam in finitimis populis linguarum, quae hodie celebrantur, notitiam haberet. Secundum ea anno superiore tabulis publice propositis, posteaquam recte atque ordine studia eius explorassemus, artium et philosophiae magister dictus est. Qua dignitate frui quum vellet, e cathedra nostra *de Imperio Constantini Magni* libro proposito publice nuper disputauit.

CAROLVS CHRISTOPHORVS EBERHARDT
 ARNSTADII THVRINGVS LYCEI PATRIAE
 RECTOR

Natus Arnstadii, nobili in Thuringis opido et sede quondam principum suorum, anno saeculi praesentis XXVII, patrem habuit Iohannem Henricum Magistrum artium, et in Lyceo patriae litteris docendis, quum viueret, praefectum eo loco, quem nunc filius tenet: matre vtitur Barbara Maria Rhetia. Prima litterarum rudimenta ipsius patris cura didicit: mox, illo fatis intercepto, meruit ibi sub magistris Ottone, Apelio, Zienio, Schneidero: quorum hi sacrorum post illa antistites facti sunt. Lipsiam quum adiiisset, nomen que in ciuibus nostris esset professus rectore Vuinclero, anno MDCCXXXVII, auditor adfuit philosophiae discendae causa, Mullero: super decretis sacrorum et litteratura Hebraica, Telleri, Hebenstreitio, Crusio: praeceptis interpretandi sacra vt operam daret, et moribus secundum sacra formandis, rursus Telleri et Vuollio. Humanitatis et litterarum causa percipiendarum me quidem sectatus fuerat, et Ernestium, cuius in primis, et Kappii maxime, beneficiorum nomine voluntatem ac fidem praedicat: et Ioecheri quoque, quem historiae doctorem

XIIII

ctorem habuerit; oratoriae, Maium. Ante hos duos annos ingenii et facultatis quaesitae aliquod specimen, Cornelii Neptotis quae extant, recudenda, exemplis desideratis, cum praefatione sua edidit. Mox euocatus a Seren. Principe suo, qui Sondershusae sedem rerum constituit, vt in Lyceo patriae litteris docendis praeficeretur, ordinem nostrum adiit, vt rite tentatus artium liberalium et philosophiae Magister diplomate edito diceretur. Quod et ita, vt conueniebat, factum est.

ALEXANDER LVDOV. ERNESTVS KVNHOLD
G O T H A N Y S.

Ernestiroda Gotha vrbe in Thuringis non procul abest. Ibi natus anno saeculi praesentis XXVIII, patre Friderico Gulielmo Iuriconsulto Doctore, et matre Maria Catharina. Patrum habet Fridericum Alexandrum inter antecessores Iuris dicundi docendi que Vniuersitati artium nostrae merentem. Cura matris praesertim idoneo litterarum magistro, cui Fritschio vocabulum, instituendus primo traditus fuit: mox Gotham deductus sub Stuffio et Richardo, et Baumeistero, aliisque magistris, qui id litterarium gymnasium regebant, militiae studiorum nostrorum stipendia fecit. Ex his Stuffii et Baumeisteri inprimis fidem ac voluntatem gratus praedicat. Huic bonae mentis officinae quum oratione habita cum laude Serenissimi nutritoris, cuius imperio Gotha paret, ex instituto vale dixisset, Lipsiam venit ante annos quatuor, relatus in ciuium nostrorum centuriis me rectore. Ab eo tempore auditor assedit philosophiae ac theologiae discendae causa, Crusio: historiae vniuersae, Ioechero: reliqua sacrorum in doctrina, Deylingio et Hebenfreitio: oratoriae, Gottschedio. Inter eos praesertim Ioecheri et Crusii singulari benevolentiae se plurimum debere ait. Etiam benefactores sibi munificos contigisse, quibus multa cum praedicatione fauoris appellat Hebenfreitios, Loeuium sacrorum Gothae antistitem, et Matthesum sacris in hac vrbe curandis bene merentem. Secundum ea nuper diplomate philosophiae Magister ab Ordine nostro dictus est.

ROMA-

ROMANVS TELLER

LIPSIENSIS

Erat pater huius, eodem, vt filius, praenomine, orator sacrorum hac in vrbe inprimis disertus, singularique ingenio, et gratiofus ciuibus, eamque virtutem tanquam in familia hereditate transcriptam habuerat. Antistes ille sacrorum ad aedem Thomae indigeris, simul Professor artium theologiae ac Doctor publicus hunc suscepit filium ex vxore Sophia Gulielma Friderici Gulielmi Schuzii antistitis sacrorum olim ad eandem aedem filia, a. C. N. c10 1000 xxxii. quam nunc domui orbae virtutibus, quae sexum eum ornant, videmus adesse et consulere. Per nimios enim labores maritus, dum omnium adeuntium se satisfacere petitis studet, morbo contracto, nuper ante diem interceptus est. Horum parentum egregia cura, sacrorum et litterarum rudimentis vt probe institueretur, idoneis artium magistris domi priuatim formandus primun traditus est, e quibus nominatim laudat Vuagnerum, Vuolfium, et inprimis Gloecknerum, cuius summum in se erudiendo studium, eximiamque fidem ac voluntatem, gratus praedicat. Ad academiam accessit nostros inter ciues relatus rectore Gottschedio. A quo tempore sic ad me a patre deductus est, sic doctrinas meas studiose affidueque sectatus, vt non alius facile probatior indole praeclara, dandaque auditioni, ac declamationi scriptioni que opera esset. Hoc pacto cum publice interpretantem Nasonis Metamorphoseon opus, et vitas Imperatorum Suetonii, tum priuatim Romae veteris ritus, et historiae quandam summam, et rei litterariae artiumque nobilium notitiam, quodammodo tradentem audiuit. Etiam controuersis per colloquia me praeeunte disputandis sedulo diuque interfuit, pulcro indolis studiorumque, quae in eo essent honesta, specimine, tantoque constantius, quanto insidiari acrius optimis quibusque ingenii solet quaedam bonis huius vrbis concitata ambitio, auocatura illa ante tempus, nisi adsit constantia, coeptis laudandis egregios, quos non paucos hoc tempore, pulcro virtutis prouentu, spes ampla ciuibus nostris ostendit. Eisdem prope in litteris noster etiam exercitus fuit

Ernestii

Ernestii doctrina, cui ob stili Latini, et declamandi, differendi, interpretandi que praecepta, praelectiones que Virgilio Aeneidos ac Taciti Annalium, multum se debere profiteatur. Porro dialecticae discendae causa sectatus est Mullerum, et Gloeknerum quoque magistrum artium, quem antea laudauerat; historiae vniuersae, Leichium: populorum Europae singulorum, Ioecherum, cuius fauorem in se praedicat: regni Germanici, Schumanum: litterarum et artium, Kappium, ac rursus Leichium. In iure ciuili cognoscendo Bacchio ac Hommelio minore doctoribus vsus est, qui historiam legum, et Institutiones Iustinianas, et ius beneficiarium ei traderent. Vfus est in capitibus eius iuris Gutschmidio, cuius fide ac doctrina se obstrictum ait. His addidit etiam sacrorum decreta ac praecepta, quae se doceret, paterno sibi animo et plurima beneuolentia spectatus, Hebenstreitius. Eadem lege se deuinctum ait ob egregiam voluntatem Ill. viro Plazio. His ad eum modum actis, etiam specimina facultatis quaestitae edidit publice, oratione et colloquiis de cathedra more academico habendis: semel moderante Platnero, *de legibus sumtuariis*, iterum, Albrechto, *de iurisdictione*, libris eam in rem publicatis: item praelectione publica primis Iuris prudentiae honoribus adeundis, carminibus quoque bonae notae machinarum scriptura euulgatis. Secundum ea, quum ei ab Ordine nostro prima philosophicae dignitatis laurea decreta esset, more sententias quasdam controuersas de cathedra defendit.

GVLIELMVS ABRAHAMVS TELLER

LIPSIENSIS

Superioris frater, eodem utroque parente prognatus hac in vrbe, anno saeculi praesentis XXXIII, eisdem magistris domi institutus, quibus frater, creuit, egregia parentum cura: quare patris fato erepti memori pietate desiderium restatur, ac doctrinam Gloeckneri gratus laudat. Ad academiam accessit eodem anno, quo frater, rectore Gottschedio. Doctores habuit, philosophiae, Mullerum: historiae, Ioecherum et Leichium: artis oratoriae, Gottschedium, cuius

cuius etiam exercitationibus priuatis se interfuisse ait: humanitatis et litterarum, Kappium, meque. Publicis item praelectionibus meis, Ernestiique, quibus frater, et quaestionibus colloquio disceptandis, me praeunte, et Kaestnero, et Gloecknero, interfuit. Ad sacrorum discendorum studia conuersus, quod ad decreta et controuersa eorum capita, sectatus est Hebenstreitium: in praeceptis interpretandi cognoscendis, et super muneris futuri prudentia, Deylingium: super formula Symbolorum tenenda, Boernerum. Vt usum declamandi de suggestu haberet, Bardii doctrina est usus: ut litteras Orientis cognosceret, Hebenstreitii, cuius in se beneuolentiam singularem, haud obscura bonorum ingenii, quae in patre fuerant, vestigia fouentem, gratus praedicat. Orationibus publice bis auditus, secundum ea, quo tempore et frater, Philosophiae Baccalaureus ab ordine nostro dictus est.

ZACHARIAS RICHTER

LIPSIENSIS

Natus in hac vrbe anno aetatis nostrae XXXIII, patrem habet Iohannem Zachariam, in Senatu Lipsiae Aedilem et negotiatorem inprimis nobilem, qui negotia praecipua bono exemplo et sic, ut frater quoque germanus ante, exercet, ut ab artibus honestissimis, ingeniorum ornamentis veris, minime alienet mercaturam. Matrem habuit Annam Margaretham e gente Behrmania. Horum parentum egregia cura sacrorum ac litterarum rudimenta primum didicit priuata domi institutione magistrorum Forbigeri, Hubleri, Leyboldi: mox ludo litterario Thomano addictus, tribus ibi annis in vtraque litteratura discenda operam dedit Ernestio, cui plurimum ideo se debere ait. Ad academiam cum adiisset, scriptus in ordine ciuium nostrorum rectore Heinsio, mihi ab eo tempore, commendatus a suis et propria indole, et Heinsio, et Ioechero, et Ernestio auditor assiduus adfuit. Iuris ciuilis discendi causa doctores est sectatus vtrumque Hommelium, et Siegelium, et Gutschmidt, et Bacchium, cui se ob fidem et officia obstrictum fatetur. Ut ingenii ac

C

facul-

XVIII

facultatis adquisitae specimina ederet honesta, et Orationem habuit publice in aede Pauli apostoli nostra, et de cathedra libro publicato *de Saturnalibus* moderante Boernerio M. A. disputavit: et epistolas scriptura machinarum super argumentis nobilibus publicavit, et Baccalaureus Philosophiae ab ordine nostro, nunc alter annus agitur, dictus, e cathedra nostra recitationes de more habuit.

CAROLVS AVGVSTVS THIEME
TEVCRA LEUCOPETRENSIS

LVDIO LITTERARIO AD AEDEM NICOL. IN
HAC VRBE CANTOR

Teuera paruum opidum est non procul Leucopetra in vicinia huius vrbis vrbe. Ibi pater huius portorii genus, Accifas velut paruas pretii redimendi partes vocant, rationalis Regis imperio et iurator cogit. Matrem habuit Magdalenam Crusiam, cuius pater ludum litterarium eius antea opidi rexerat. Ex his natus a C. N. MDCCCXXI, quum egregia parentum eorum pietate et prudentia sacrorum et litterarum rudimentis, etiam patriae vsus ludo, esset institutus, Lipsiam deductus est in ludum Thomanum, in quo sub disciplina Ernestii, Dresigii, Hulsii, Krigelii et Vuincleri, meruit, eorumque fide et industria, quo nomine inprimis Ernestium laudat, plurimum se profecisse ait. Ad rem nostram transit anno saeculi praesentis xxxv, census in ciuibus artium et virtutis rectore Klausingio. Sectatus est inter nos philosophiae quidem discendae causa, et mox sacrorum decreta vt cognosceret, Crusium ac Deylingium: vt morum e sacris praecepta et interpretandi modos, Tellerum: vt Hebraicas litteras, Hebenfreitium et Boffeckium. Historiae percipiendae studio se auditorem adfuisse ait loechero: declamandi in vsu, Stemlero: disputandi colloquiis, Hebenfreitio et Ernestio. Interea etiam stipendiis munificentia maiorum huic militiae tributis adiutus, quum egregiae inter liberales arti Musicae quoque discendae studuisset, aliosque obiter litteras docuisset, essetque Dresdae tentatus vt sacrorum Candidatus curandorum, accidit, vt amplissimus huius vrbis

vrbis Senatus eum ludo litterario ad aedem S. Nicolai florenti Cantorem crearet.

PAVLVS IACOBVS SCHARNO
L I P S I E N S I S

Prognatus est patre Paulo Dauide mercatore inter nostros nobili, matre Iohanna Sophia Rotfchia, in hac vrbe a C. N. c10 1000 xxx. Auum paternum habuerat cognominem sibi, magistrum artium et sacris Iutreboci faciundis quondam Archidiaconum. Domi primum recta parentum cura idoneis magistris instituendus traditus, e quibus Vuolfium, nunc sacris curandis admotum, in primis laudat, mox Portensi in ludo coepit mereri sub magistris Freitagio, Amende, Peucero, Hentschelio, Geislero, Heymano et Hubschio, quorum omnium praeclara in se merita, praesertim Freytagii, gratas praedicat. Sic exacto, quod erat destinatum, tempore, Lipsiam redux factus, academiam adiit anno saeculi praesentis XXXXVIII, in ordines nostrorum relatus rectore Klauingio. Auditor doctrinae causa adfuit, vt philosopharetur, Mullero et Vuinclero: vt litteras Hebraicas disceret, Sanckio: vt historiam, Iochero: vt oratoriam, Gottschedio: vt decreta sacrorum, et controuersias, et vsum declamandi, Vuollio: vt mores exemplo sacrorum formandos, Crusio: vt futuri muneris prudentiam, Deylingio. Eodem praeunte se exerceri quaesitis, et ingenio colloquiis academicis acuendo, et his omnibus ob fidem ac voluntatem plurimum se debere ait: sed imprimis Vuollio, qui singulari beneuolentia se adiuuerit. Nuper rite tentatus ab ordine nostro Philosophiae Baccalaureus publice renunciatus est.

GEORGIVS GOTTLOB KVCHELBECKER
L I N D A M I S N I C V S

Neostadio ad Orilam non procul abest vicus, cui vocabulum Lindae. Ibi pater huius, anno superiore e vita euocatus, Magister artium credito fidelium gregi sacris curandis pastor praefuerat: mater Anna Maria Leidelia item sacris curandis praefecta, eius que e Pannonibus oriundi, filia, edidit

eum a C. N. CIO IDCC XXVIII. Litterarum et sacrorum rudimenta primum patris cura didicit, mox ad ludum litterarium in vicinia patriae Slizae deductus, ibi sub magistris Schlottero et Machero meruit. Interea quoque cum Graecis litteris operam se dedisse discendis ait, tum primas quasdam lineas artis medicae duxisse praecunte Seyfferto doctore. Lipsiam accessit anno aetatis nostrae XXXVII, in numerum civium academicorum receptus rectore Vuinclero. Hic doctores habuit philosophiae omnis, Mullerum: linguae Anglosaxonicae, Vuogium: humanitatis et litterarum, Ernestium. Medicam artem ut disceret, gramina eum docuerunt noscenda, Plazius, Bosius, Boemerus minor: chemiam, Ridigerus: corpora incidenda, vulnera curanda, alias artis partes, Gunzius, Quermalz, Hartranst: quae Clinicen propius contingunt, Ludeuigius et Hebenstreitius. Horum inprimis duorum, ut quidem omnium, singularem in se fidem ac benevolentiam praedicat, ut auunculi quoque Leideli causarum in iure patroni, et ill. Schoenburgii Comitum a Consiliis. Sic fauore ac beneficiis subnixus, in quo etiam singularem in se alendo summi numinis providentiam gratus agnoscit, et priuatim ductu Hebenstreitii, Ludeuigii et aliorum, ingenium controuersis disputandis exercuit, et publice de cathedra nobilium scriptis argumentorum diuersis defensor adfuit.

FRIDERICVS GVLIELMVS SONNENKALB

ANNAEBERGA MISNICVS

Natus Annaebergae nobili in montanis Misniae opido anno aetatis nostrae XXX, patrem habuit Iohannem auro fabrilis ingenio excudendo artificem, quo puer admodum fatis vrgentibus orbatus est: matrem habet, cuius pietatem in se laudat, Iohannam Dorotheam Garmaniam, gente in Hermunduris honesta. Ea deinde nupsit Ronnigero, eandem artem, quam prior maritus, exercenti, cui vitrico suo singularis fidei ac liberalitatis nomine se obstrictum grato profitetur animo. Quum domi primum a magistris Altmano et Martini litterarum rudimenta didicisset, ludo litterario patriae traditus est, ut mereret sub disciplinis Kemnae, Roschii, Bruckneri, Mulleri,

Ieri, Richteri; Barthii magistrorum, quorum diligentiam, praesertim Barthii, sacris curandis deim praefecti, gratus celebrat. Mox adiit Alteburgum, ut eius urbis in Gymnasio litterario sub consanguineo sibi Ranischio artibus liberalibus reliquam nauaret operam. Quo quatuor annis usus bene, quod laudat, et Moerlino quoque et Vuebero, Lipsiam adiit anno saeculi praesentis XXXXVIII, in ordine ciuium nostrorum scriptus me rectore. Ab eo tempore doctores est, secutus philosophiae omnis discendae causa, Crusium: in litteris elegantioribus cognoscendis me, et Kappium, et Leichium: in Oratoria, Gottschedium, cuius beneuolentiam laudat: in historiae diuersis partibus, rursus Kappium, et Ioecherum Leichium que. Ad sacra discenda quum conuersus esset, Hebraicae litteraturae causa auditor adfuit Hebenstreitio et Bosseckio, ut sacrorum decreta nota haberet, et interpretandi modos, Crusio, Vuollio, Ernestio. Morum formulam ac declamandi de suggestu usum, et symbola, et prudentiam futuri muneris eum docuerunt Crusius, Boernerus, Deylingius: historiam sacrorum, et quae sunt eiusmodi, Vuogius et Vuernsdorfius; disceptare controuersias, Hebenstreitius, Crusius, Deylingius, Kaestnerus. Etiam progressus in Cathedralam theologorum Bardio praeside quaestionem eius argumenti publice defendit: et scripta publicauit, *de probitate praeceptorum ad Ranischium alterum, et alterum de litterarum ad sacra docenda momentis et usu*. Fauore sibi interea profuisse ill. Mascouium, et Ioh. Henr. Kustnerum mercatorem in hac urbe nobilem: cuius liberos litteris artibusque ingenuis erudiendos suscepit. Secundum ea primam philosophiae lauream ab ordine nostro nuper impetrauit.

IOHANNES AVGVSTVS LINSE
FRIBERGENSIS

Patre Iohanne Beniamino, qui inter metallicos eius Misniae montanae tractus aliquem ordinem ducit, mater Iohanna Eleonora Sussia, cuius pater item metallicis et iuri dicundo praefuerat, natus Fribergae anno aetatis nostrae XXXI. Sedula horum parentum cura ut sacra disceret et litteras idoneis ma-

gistris traditus, ipsius quoque patris diligentia profecit: mox in ludum litterarium patriae deductus quinque annis in eo doctrinis Grabneri, Hoerii, Vuciffii, Kauderbachii, Klimmii- que mentem excoluit. Lipsiam adiit a C. N. CIO IOCCCL, noster factus rectore Kappio, atque inde ab eo tempore auditor adfuit philosophiae discendae causae, Mullero, Crusio, Vuinclero: historiae, Ioechero ac Baiero: dialecticae, rursus Crusio: oratoriae, Gottschedio. Sectatus item Aeneida enarrantem ac Taciti Annales Ernestium: artem medicam qua iura requirunt, Hebenstreitium: mathesin, Heinsium: rei litterariae discendae causa, me quidem. In sacrorum discendorum partibus praesertim Crusii doctrinam delegisse, eiusque voluntate ac fide plurimum se iuuari ait: pependisse etiam ab ore Boernerii et Hebenstreitii, cui ob benevolentiam plurimum ait se debere. In litteris Hebraicis ei se adfuisse, et Bosteckio quoque: disputando controuersa doctrinae capita praecentem habuisse Kaestnerum. Sic praeparatus in aede Paullina oratione Latina declamauit, et quum Baccalaureus philosophiae ab Ordine nostro nuper diceretur in ea panegyri oratiunculam recitauit Graecam.

AVGVSTVS SIGISMVNDVS CNOBLOCH

LIBEVERDA SAXO

Torgauia ad ortum aequinoctialem Libeuerda abest ad Eliftri flumen sita. Ibi pater huius Martinus Theologiae Doctor sacra illius agri antistes Superattendens curabat, quum eum suscepit ex vxore Amalia Sophia Friderici Schulzii item sacris in agro prope Lipsiam curandis praefecti et magistri artium filia. Id contigit anno saeculi praesentis XXX. Pater postea Vuurzensibus sacris moderandis eadem dignitate muneris adnotus, concilio ibi iuridicorum sacris regendis interest. Singulari parentum cura se recte litteris institutum primum domi ait per magistros idoneos, e quibus gratus nomine edit Pefckelium et Hogerum. Mox in ludo litterario Vurzensi meruisse sub rectore eius Telleri. Deinde Lipsia adita in ludo Thomanogisse multo cum fructu annis octo, sub Ernestio, Hulsio, Krigelio Mathesioque, quorum omnium fidem ac beneuolen-

tolentiam, et imprimis Ernestii, prolixè prædicat. Ad academiam conuersus anno xxxvii rectore Kappio, doctores hic habuit philosophiæ discendæ, Crusium: historiæ ciuilibis, Ioecherum: historiæ litterarum et artium, Kappium: sacrorum, Beyerum. Litteras eum Graecas et Latinas et rhetoricen porro docuit Ernestius: Hebraicas, Hebenstreitius: decreta sacrorum idem, ac Deylingius, et Crusius. Prudentiam futuri muneris, et controuersa capita sacrorum, et morum formulam, usum que declamandi ac disputandi, et hi superiores ei tradiderunt, et Ioecherus, cuius singularem fauorem, et Crusii, et reliquorum quoque, gratus laudat. Ita que factum est, vt Dissertationem *de Theodorico Iun.* Vuilkio M. A. præfide ante hos duos annos publice defenderet.

IOHANNES ZACHARIAS DOSS
ORIBACO NARISCVS

Oribaci in Nariscis patre Zacharia, qui artificio pistrini exercendi familiam alit, matre e gente Braunia, natus a C. N. ciccxcxxviii, meruit primum in ludo patriæ vt litteras disceret sub magistris Troegeris, quorum fidem ad diligentiam laudat: deinde Cygneam deductus sub disciplina Clodii, qui ludum eum cum laude regit, profecit annis septem. Simul a Beckio, Schustero, Vuellero, qui sacris ibi præsunt, liberaliter et benigne habitus est, quod gratus agnoscit. Lipsiam accessit anno sæculi præsentis xxxviii, in ordines ciuium nostrorum relatus me rectore. Auditor hic adfuit omnis philosophiæ discendæ causâ, Crusio: in omni sacrorum doctrina, et quidem super decretis, et morum præceptis, et interpretatione, Crusio ac Tellero: in litteris Hebraicis, Hebenstreitio: super prudentia futuri muneris Deylingio. Etiam historiæ cognoscendæ causâ se Ioecherum sectatum esse ait, et benigni numinis prouidentia contigisse, vt et publice aleretur principalis munificentiae triclinio, et plurimam beneuolentiam eorum, quos modo nominaui, aliorumque in hac vrbe, in se ornando experiretur. quare id grato animo libenter prædicat.

LVDO.

Rudisbronna vicus est agri Baruthini in Franconibus meis. Ibi pater huius Iohannes Petrus ludo litterario praeest. mater Maria Dorothea Wernher cognatione eos contingit, qui et Vitebergae hoc nomine claruerunt, et partim Vindobonae inter iuridicos Imperatoris. Ex his natus a C. N. MDCCCXXVIII, litteris primum institutus est Neostadii ad Aislum, vbi ludum eo tempore litterarium floruisse ait sub magistris Lerchio sacrorum ibi antistite, et Lairizio, et Dorfflero. Hinc dimissus Vitebergam adiit, vbi philosophiae ac sacrorum doctoribus vsus est Hillero, Hoffmanno, Weickmanno, et super iure naturae, Crellio: super mathesi ac physica, Bosio, Vuedlero, Bermano. auctoritate etiam adiutus et consiliis consobrini sui Vuernheri. Lipsiam venit anno saeculi praesentis XXXVIII, scriptus in nostris rectore Gottschedio. et hic potissimum Deylingio et Telleris sacrorum discendorum causa adfuit auditor. Mox academiam, quae ad Salinas Saxonum constituta est in vicinia, visurus, ibi, quum viros eruditionis fama nobiles adisset, Boemeri doctrinis vsus est, et Baumgartii. Redux factus Lipsiam ante annos tres, me ab eo tempore assiduus sectator audiuit, et Kappium. Mascouii etiam, vt gratus laudat, singulari benevolentia adiutus. Nunc Chemnitii vitam agit erudiendis litterarum et artium notitia liberis mercatoris honesti praefectus.

CAROLVS RVDOLPHVS LENCKE

ORIBACO NARISCVS

Oribacum, quod nostris vulgaribus litteris est Auerbach, quasi *grandem riuum* Theotisce dicas, nam Auer olim quidquid magnum et primarium videbatur proavis, signabat, vt Auerhahn vel Aurbahn, amat enim sermo noster breuitatem et pondus vocis in syllabam arctandae, velut magno corpore in pullis gallinaceis: Aurochs et Urochs, velut maioris tauri genus: Ursprung, tanquam Aursprung primarium caput et fons fluuii, nam sprung et spring fons est: Urlaub, quasi magna et extrema venia et commeatus, et alia ad eum modum.

dum. Oribacum igitur opidum paruum, et ciues generis Theotifci, et vetustatem nonnullam, nomine testatum, in Nari-
fcis, qua regi nostro parent, Plauia in ortum aequinoctialem
abest. Ibi praetoris munus gerebat pater huius Iohannes
Georgius, quum eum filium suscepit ex vxore Iohanna So-
phia, Iohannis Bonitii filia, qui sacris curandis pastor fidelium
gregis patriae primarius praefuerat. Natus ita anno saeculi
praesentis xxx, singulari horum parentum cura sacris et lit-
teris instituendus traditus est Troegeris magistris, qui tum
ludum patriae regebant. Cygneam post illa deductus meruit
ibi sub disciplina Clodii, Bruckneri, Nobisii, annis fere quin-
que. Quorum omnium magistrorum cum patriae, tum
Cygneae, valde laudat beneuolentiam et fidem. Ad nos Lip-
psiam se conuertit anno aetatis nostrae xxxviii, Vuinclero
rectore. Sectatus est inter nos doctores philosophiae qui-
dem omnis, Crusium: mathefos, Krausum: Hebraicae lit-
teraturae, Hebenstreitium: litteris Latinis perdiscendis, Er-
nestium: historiae philosophorum, Ioecherum: sacrorum,
Bayerum et Vuernsdorsum. Ad sacrorum discendorum stu-
dia quum animum appulisset, decreta sacrorum auditor acci-
pit tradente Crusio: interpretandi modos, eodem ac Deylingio:
controuersa, morum formulam, futuri muneris prudentiam,
vsum declamandi, ingenii que per interrogationes et
disputando acuendi, his superioribus et Hebenstreitico magi-
stris didicisse se ait. His omnibus doctrinae caussa, et pro-
pter singularem beneuolentiam, se plurimum debere profite-
tur, eoque nomine Matthesio quoque et Klaubarto obstrictum
esse: ad quam rem etiam Oribaco Bonitius cognatione sibi
iunctus, et frater Numburgo, egregie concurrissent. In qui-
bus omnibus singularem summi numinis prouidentiam pro
se excubantem, dum liberalia ciuium nostrorum pectora ad
se fouendum excitaret, lubens et gratus agnoscit.

CHRISTIANVS FRIDERICVS SCHVLZ

TORGAVIA SAXO

Vrbe Torgauia non procul vicus est, cui vocabulum *Wisdens-
hain*, quod velut siluam incaeduiam senticosam signat,
D
nam

nam *Dayn* in talibus non ducitur a fanum, vt alias, sed ab *Sagen*. Ibi saltibus curandis, et venationi exercendae, regis nostri imperio praeest pater huius Iohannes Fridericus, qui hunc filium suscepit ex vxore Iohanna Sophia Zimmermannia, anno saeculi praesentis xxx. Horum parentum, quorum impense laudat pietatem, cura egregia primum domi litteras et sacra didicit magistris in disciplinam traditus nomine Klungiis patri et filio. mox, in ludum principalis munificentiae litterarium Cremae Misnicae deductus, meruit ibi sub magistris, Schumachero, Parskyo, Vlischio, Opitio et Hauptio, annis perpetuis sex: obiter etiam Francogallicae Hebraicaeque linguis opera data. Ad nos Lipsiam venit anno xxxviii, scriptus inter ciues doctrinae studiosos rectore Heinso. Philosophiae hic vniuersae discendae causa sectatus est Mullerum: physicae, Vuinclerum: humanitatis et historiae Augustae, me quidem. Ad sacrorum doctrinae studia conuersus, auditor ideo assedit Boernero ac Deylingio: et Stemlero decreta per interrogationes tradenti, vsumque declamandi: et Vuollio, controuersa sacrorum et interpretandi modum declaranti, itemque exercitationem declamandi, et historiam decretorum, et sectarum historiam, et alia, quae haec ad studia attinebant. Cuius inprimis valde laudat fidem ac doctrinam. Historiam sacrorum cum docuit Vuernsdorfius, Hebraicas litteras, Bosteckius; Iudaeo item natione, qui ad rem Christianam edoctus meliora transferat non alienus a litteris, earum litterarum in studio commode ac libenter se vsum ait.

IOHANNES SAMVEL KRAVSE
DELITIO MISNICVS

Natus Delitii patre Tobia calcearii futoris artem ibi exercente, matre Christina Elisabeta Libenauia, a C. N. ccccxxviii, eorum parentum cura idoneis litterarum et sacrorum magistris, quibus nomina Friderici ac Froebero, mature traditus est. Deinde summi numinis prouidentia benigna contigisse ait, vt ludum adire Portensem posset, vbi annis sex vsus est institutione Freytagii, Amende, Hoffmanni, Peuceri,

Peuceri, Hentschelii, Geisleri, Haymanni, Egenolfii, Hub-
schii. Eorum omnium in se fidem ac beneuolentiam, et
praesertim Venerab. Amendii, gratus praedicat. Lipsiam
adiit a C. N. CIOIOCCXXXVIII, rectore adscriptus nostris
Heinsio. Philosophiae omnis discendae et sacrorum docto-
rem hic habuit praesertim Crusium: philosophiae, vt ait,
ambitum aliquoties, eo praeunte, emensus. Vt vitas phi-
losophorum disceret, auditor adfuit Ioechero: vt mathesin,
Krausio M. A. sub quo etiam disputationis causa proposi-
tum librum *de homine non machina* superiore anno publice
defendit. Vt Hebraicas litteras pernosceret, sectatus est
Hebenstreitium et Bosseckium: in sacrorum doctrina omni,
vt supra scriptum est, Crusium: cui ideo, et propter hospiti-
um inquilinus ei receptus, et beneficiis illius recreatus, plu-
rimum debere gratus memorat. Nunc in domo Baueria stu-
diis filiorum regendis meret.

IOHANNES CHRISTOPHORVS
ZIMMERMANN
ROCHLIZIO MISNICVS

Rocolitium, *Nöchlitz* nostris praesentibus litteris, vetus et
clarum Misniae loco amoeno ad Muldae flumen situm
opidum est. Ibi natus anno saeculi praesentis XXVIII, patre
Godofredo mercatore, matre Anna Dorothea Vuenzelia.
Litterarum et sacrorum rudimentis institui primum domi
coepit opera magistrorum Vltmanni, Gerlaci, Pitsleri. In-
ter quos imprimis Gerlaci egregiam fidem voluntatemque
laudat, qui sibi auctor suscipiendi studii artium liberalium
fuisse. In ludum Portensem adductus meruit ibi annis ferme
sex sub magistris, qui ei ludo praesunt, quorum subinde su-
pra mentionem fecimus. In his praesertim Hentschelii be-
neuolentiam sibi profuisse gratus memorat. Lipsiam se con-
tulit a C. N. CIOIOCCCL, in ciuibus nostris scriptus rectore
Kappio. Philosophiae vniuersae doctorem, cuius beneuolen-
tiam impense praedicat, habuit Mullerum, et in quibusdam
partibus eius, Kirstein M. A. Sacrorum decreta et contro-
versa eum docuerunt, et modos interpretandi, Deylingius,
Vuollius,

Vuollius, Crusius: morum e sacris formulam, Bardius: Hebraicas litteras, Bosseckius et Hebenstreitius; historiam sacrorum, Vuogius: declamandi de suggestu praecepta et usum, rursus Crusius. Quorum omnium valde laudat luculenta in se merita.

GOTTLIEB LVDOVICVS STIEGLIZ
N V M B V R G E N S I S

Patre vitur Christophoro Ludouico sacrorum Doctore theologo et Numburgi Antistite, creditique fidelium gregis Pastore primario et Athenaei ibi Ephoro, Ducis que quondam Saxo Querfurtani a Consiliis rerum sacrarum. Natus anno saeculi praesentis **xxiiii**, egregia parentum cura quum litteris ac sacris per idoneos eorum praeceptores institutus esset, praesertim beneuolentia Venerab. Stemmleri contigisse ait, vt in Athenaeum patriae reciperetur, in que eo sub magistris Koelero, Kirsteno, Schochero, et Peucero, annis consuetis mereret. Quorum, et praesertim Peuceri, fidem ac voluntatem, vt auctoritatem Stemmleri, gratus laudat. Quum fiduciam ingenii et facultatis artium liberalium dignam hac institutione haberet, Vitebergam adiit, ibique sectatus est doctores philosophiae, et litterarum, et sacrorum discendorum causa, Baermanum, Crellium, Vuedlerum, Bergerum, et, quod ad corporum incidendorum scientiam, Vaterum. In Hebraicis litteris Zeibigio: in reliqua sacrorum doctrina Vaeickmano et Hoffmano auditor adfuit. Ita quum annos tres exegisset, Ienam se contulit, ibique eisdem in studiis assedit scholis Hambergeri, et, quod ad iura sacrorum canones quosdam secuta, et iuris ciuillis gustum quandam, Gnugii et Engauii: philosophiae causa, Dariesii: sacrorum super controuersis, Reuschii et Halbaueri. Inde in Silesiam euocatus Illustr. Comitum Dyherrni filio comes et custos studiorum regendorum additus est, et mox tentatus colloquii more et instituto, inter sacrorum curandorum Candidatos scriptus.



Faint, illegible text at the top of the page, possibly bleed-through from the reverse side.

Second block of faint, illegible text, continuing from the top section.

Third block of faint, illegible text, continuing from the top section.

Fourth block of faint, illegible text, continuing from the top section.

Fifth block of faint, illegible text at the bottom of the page.



Fikt d 70

(X2625393)

MC



IN CALAMO LOQVACES
XX. PHILOSOPHIAE CANDIDATIS
QVI MAGISTRI CREANTVR

RECTORE MAGNIFICO
IOH. FRIDERICO MAIO
MORALIVM AC POLITICAE PROF. PVBL. ORD
ET MAI. PRINC. COLLEG. COLLEGIATO

PROCANCELLARIO SPLENDIDISS
AVGVSTO FRIDERICO MVLLERO
ORGANI ARISTOTELEI PROF. PVBL. ORD
ACAD. DECEMV. COLL. PAVLINI CVRATORE
MINORIS PRINCIPVM COLLEGII SOCIO
ET H. T. PRAEP. MAGNO

CARMINE SOLEMNI VUTILITER DICIT
DECANVS HOC TEMPORE
IOH. FRIDER. CHRISTIVS P. P
D. VIII. MART. A. C. N. CIOIDCCCLIII

L I P S I A E
EX OFFICINA LANGENHEMIA

